

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 9. (Neovidensis 1808. Nro. 6.)

Politica mortuorum Colloquia.

Elysiū Meum. - Die Veneris. 2. Feb. 1808 (Neov. 15. Jan. 1808.)

Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur, ficta omnia celeriter, tamquam flosculi decidunt, nec simulatum potest quidquam esse diuturnum.

Tullius.

Colloquentes Umbrae.

Pittius Minister. Joannes Luzac.

Luzac. Proh vocem horrissonam! bellum perpetuum. —

Pittius. Dic obsecro, remedium, ad violentum Galliam inter, & Angliam statum tranquillum reddendum?

Luzac. Lego in Monitore de 10. Jan. Articulum Londino de 1. Jan. qui viam paci praestruere videtur, est is ex *Lloidii Evening* relatione petitus.

Pittius. Aisne? qua quaeso ratione?

Luzac. In eo narratur: dum aute bellum Borussiae Ill. *Lauderdale* in Galliis negotium pacis tractasset, a ministro *Campagni* eidem sequentia puncta die 24. Sept. ex parte Imperatoris Galliarum proposita esse: 1) Ut Ducatus Hanoveranus cum quibusvis adperten-

tiis Regi Angliæ restituatur. 2) Possessio Insulæ Melitensis Angliæ confirmetur. 3) Galliam cum Hollandia in id coalituram: ut promontorium bonæ spei Anglis relinquatur. 4) Ab Imperatore *Pondichery*, *Chandenager*, *Mahe* aliaque emporia Anglis cedenda. 5) Insulam *Tabago* coronæ Anglicanæ relinquendam. Præter hæc quina puncta, Gallia obiulit operam suam: ut Insulæ *Baleares*; *Majorca*, *Minorca* & *Ivica* cum notabili annua pensione Regi olim Neapolitano ab Hispania cedantur; Russiæ quoque supremum *Corcyræ* dominium additum — contra: Gallia solam Insulam *Siciliæ* prætendit.

Pittius, Quid ultra?

Luzac. Verum Anglia prætendebat porro: ut *Dalmatia* Russiæ cedatur; quod Imperator Galliæ simpliciter rejecit; bellum cum *Borusso* erupit, *Ill: Lauderdale* petiit dimissorias litteras, & discessit. Omnia hæc legi possunt in *Monitore*. An, obsecro, hæc non erant favorabiles oblationes? quæstio magna vertitur: ut eæ de præsentis futuræ sint? si negotium pacis tractatum fuerit; ceterum de his alia vice plura — jam lectionem nuper abruptam prosequamur:

Continuatio Responsi Regis M. Britanniae ad Declarationem aulae Petropolitanae.

Nihilominus Suae Maj. visum est, ut hæc declaratio non modo sine acerbitate atque hostili agendi ratione petatur, verum ut etiam ea cum æstimatione sentiendi rationis, & ad-

junctorum Imperatoris Russiae suscipiatur; quam memoria veteris amicitiae, atque interruptae quidem, nequaquam tamen abruptae fiduciae postulabat. Declaratio Imperatoris Russiae argumento est: intentionem patientiae moderationisque Suae Maj. incassum cecidisse, praebetque documentum infelix: influxum ejus potentiae, quae essentialis M. Britanniae Russiaeque hostis est, dirimens praepondium in secreto Petropolitano Conclavi adeptum, inimicitiasque absque causa inter duas nationes secreto movisse; quarum veteres relationes, & mutuum emolumentum iis arctam conjunctionem servare; Sua Maj. cum dolore queritur de ulteriore bellicae calamitatis propagatione, at adacta, prout ea est, se adversus hostilem agendi rationem, cui ipsa ansam haud dederat, defendere, optat coram oculis orbis praetextus diluere, quibus illam propugnandi conatus fuit. In Declaratione memorata adstruitur: quasi Imperator Russiae duplici vice ad arma provolasset, in Causa, quae M. Britanniam proxime attinebat, & hac assertione nititur objectio: Angliam militares Russiae operationes adjuvare intermisisse.

Si proinde pax Chronopolitana oeu sequela, & poena desidia, quae M. Britanniae culpae datur, considerata est, tum Sua Maj. id unum dolere potest: Imperatorem Russiae adeo praecipiti ratione, tam perniciosam agendi rationem eodem ipso temporis articulo arripuisse, quo Sua Maj. intensissimos cona-

tus ederet, ad expectationem Fœderati sui implendam; asseverationes, quas Cæsarea Maj. luculentis argumentis confidentiæ, & contentu animi exceperat, denique in eo articulo rerum, quo reapse Sua Maj. prompta erat, pro communi belli intentione easdem bellicas vires adhibere, quas, secuta Pace Chronopolitana ad evertendam adversus immediatam suam securitatem initam *cointelligentiam* adhibendam se adactam existimabat. Turbatio Commercii Russici per M. Britanniam imaginaria objectio est. Ex institutis ad mandatum Sux Maj. in Archivis Tribunalis Admiralitatis inquisitionibus eluxit: non plures una nave Russica durante præsentate expeditione bellica condemnatas esse, quæ comneatum navalem ad portum communis hostis deferendum continebat; exempla detentatarum navium Russicarum admodum rara occurrunt, & nullo unquam in casu, ei, qui de apprehensione ejusmodi questus, legitima ratione, jus denegatum est. Quæ propter Sux Maj. quam inexpectatum, tam dolorosum est: Imperatorem Russiæ in id consensisse, ut querela proponatur, quæ, cum ab his, in quorum favorem ea elevata est, serio sentiri nequeat, in id directa esse videri posset, ut exaggeratæ declamationes suffulciantur, per quas perpetuo Gallia adnisa æmulationem aliorum Statuum commovere, & irradicatum adversus M. Brit. odium suum propugnare. Confecta Chronopoli pace sequebatur ex parte Imperatoris Russiæ oblatio intermediationis suæ, ad incundam Galliam inter atque M. Britanniam, pacem; quæ, prout adstruitur, per Sux Maj. statem

rejeſta eſt; Sua Maj. intermediationem Imp. Ruſſiæ nequaquam rejeoit, quamquam hæc oblatio iis adjunctis connexa fuerit, quæ *declinationem* propugnare poſſunt. Sua Maj. motivis, quæ *Originetenus* Ruſſiam ad bellum ad verſus Galliam permoverat, lubens juſtitiam impertit; eodem ultroneo animo Maj. Sua fatetur: quovis tempore M. Britan. ſortem & ſalutem continentis curæ cordique fuiſſe, verum id quidem arduum foret, demonſtrare: M. Britannix, quæ ipſa cum Boruſſia in ſtatu belli verſabatur, cum hoſtilitates inter Galliam & Boruſſiam occoepiſſent, an inquam M. Britannix magis interfuert, & major immediata obligatio incubuerit cum Boruſſia communem cauſam faciendi, quam Ruſſiæ, præprimis ſi expendatur: Imperatorem Ruſſiæ fœderatum Suxæ Majestatis Boruſſicæ, Proteſtorem borealis Europæ, & vedem Conſtitutionis Germanici Imperii fuiſſe; Neque Suxæ Maj. in publico Edicto explicandæ quæſtioni vacare integrum eſt: an e re fuerit, quocunq; etiam belli tempore id fuerit, copiarum deſcenſionem in oris Neapolitanis ſuſcipere, aut intermittere. At bellum cum Porta Ottomanica adhuc mirabiliore ratione ſuxæ Maj. lectum eſſe videtur, ut hac ratione ad verſus M. Britanniam obſectio: indifferentem in fœderatum fuiſſe, poni poſſit. Dubio caret: bellum hoc a M. Britannia, incitante Ruſſia, & eo ſolum conſilio ſuſceptum, ad impediendam & muniendam rationem hujus ſtatus ab influxu & auctoritate Galliarum.

Articuli Pacis Chronopolitanæ Suxæ Maj. communicati non ſunt; nominatim Articulus



communicabatur, vigore cujus intermediatio
 proponitur temporisque spatium responso Suae
 Maj. ad hanc propositionem defigitur, nihilomi-
 nus responsum Suae Maj. nequaquam *negativum*
 erat, sed *conditionata* acceptatio; conditiones, quae
 a Sua Majes. petebantur, explicatio erant prin-
 cipiorum, quibus hostis ad tractandum pro-
 penderet, atque communicatio Articulorum Pa-
 cis Chronopolitanae; prima conditionum harum
 ipsa eadem illa fuit, quam Imperator Russiae
 paullo quatuor ante mensibus suae ipsi proposi-
 tioni Suae Maj. Austriae Imperatori oblatae ad-
 jungebat. Sua Maj. jure pollebat, alteram in qua-
 litate Foedersti Suae Caesareae Maj. poscendi,
 ac summæ inconsiderationis indicium fuisset,
 eam praetermittere, postquam provocata est, ad
 curam sui honoris, atque suorum emolumento-
 rum Suae Caesareae Maj. concedendam; Verum
 supposito etiam eo: has conditiones, quarum
 nulla impleta est, quamquam earum impletio-
 nem legatus Suae Maj. Petropoli idemtidem po-
 stulaverit, nequaquam natura sua perfecte natu-
 rae necessitatique consonas fuisse, attamen am-
 pla meditationum seges suppetebat, ad permo-
 vendam Suam Maj. ut se accuratissime, & re-
 late ad intentionem Imperatoris Russiae, quam
 & in argumento & effectis novorum a Sua Cae-
 sarea Maj. initorum nexuum securam certamque
 reddat. Totalis relictio eorum, quae Regis Bo-
 russiae interfuere, qui obligationibus cum Cae-
 sareo Foederato suo initis inconcussa fide inhæ-
 rens, vice duplici propositionem ineundae sepa-
 ratæ pacis rejecit, prout & natura stipulationum,

quas Imperator Russiæ in tractationibus Chronopolitanis in sui emolumentum facere contentus erat, nullam excitantem spem in argumento consecratorum faciendorum progressum præbuere, quos Sua Cæsarea Maj. in favorem suæ Britannicæ Maj. faciendi propensa esset; Non, interea quo exercitus gallicus pergeret ditiones adhuc reliquas Regis Borussiae adversus tenorem Tractatus Chronopolitani occupatas tenere, easque desolari, neque interea quo Gallia in his Monarchiæ Borussicæ reliquiis pro arbitrio graves præstationes exigit, quas Borussia in florentissimo etiam statu pendendo impar fuisset; neque interea, quo in statu pacis deditio arcium Borussicarum petitur, quæ belli tempore expugnari non poterant; neque interea temporis, quo Gallia in Borussiam adeo latepatientem tyrannidem exerit, ut momentaneum supplicium subditorum Borussicorum, in ditionibus Borussicis sedes habentium, eo ex capite postuletur: quod delati essent: æstimationem regimini Gallico debitam attrectasse; neque interea, quo omnes hi actus in conspectu Imperatoris Russiæ, et absque ejus intercessionem in favorem foederati sui, tolerantur; non inquam sub talibus adjunctis Sua Maj. se obligatam existimare potest, Europæ in argumento difficultatum rationes reddere, quæ sibi suppetebant, illimitatam fiduciam in efficaciam intermediationis Suæ Cæsareæ Maj. collocandi.

Continuabitur

communicabatur, vigore cujus intermediatio
 proponitur temporisque spatium responso Suae
 Maj. ad hanc propositionem defigitur, nihilomi-
 nus responsum Suae Maj. nequaquam *negativum*
 erat, sed *conditionata* acceptatio; conditiones, quae
 a Sua Majes. petebantur, explicatio erant prin-
 cipiorum, quibus hostis ad tractandum pro-
 penderet, atque communicatio Articulorum Pa-
 cis Chronopolitanae; prima conditionum harum
 ipsa eadem illa fuit, quam Imperator Russiae
 paullo quatuor ante mensibus suae ipsi proposi-
 tioni Suae Maj. Austriae Imperatori oblatae ad-
 jungebat. Sua Maj. jure pollebat, alteram in qua-
 litate Foedersti Suae Caesareae Maj. poscendi,
 ac summæ inconsiderationis indicium fuisset,
 eam praetermittere, postquam provocata est, ad
 curam sui honoris, atque suorum emolumento-
 rum Suae Caesareae Maj. concedendam; Verum
 supposito etiam eo: has conditiones, quarum
 nulla impleta est, quamquam earum impletio-
 nem legatus Suae Maj. Petropoli idemtidem po-
 stulaverit, nequaquam natura sua perfecte natu-
 ra necessitati que consonas fuisse, attamen am-
 pla meditationum seges suppetebat, ad permo-
 vendam Suam Maj. ut se accuratissime, & re-
 late ad intentionem Imperatoris Russiae, quam
 & in argumento & effectis novorum a Sua Cae-
 sarea Maj. initorum nexuum securam certamque
 reddat. Totalis relictio eorum, quae Regis Bo-
 russiae interfuere, qui obligationibus cum Caea-
 reo Foederato suo ininitis inconcussa fide inhæ-
 rens, vice duplici propositionem ineundae sepa-
 ratæ pacis rejecit, prout & natura stipulationum,

quas Imperator Russiæ in tractationibus Chronopolitanis in sui emolumentum facere contentus erat, nullam excitantem spem in argumento consecratorum faciendorum progressum præbuere, quos Sua Cæsarea Maj. in favorem suæ Britannicæ Maj. faciendi propensa esset; Non, interea quo exercitus gallicus pergeret ditiones adhuc reliquas Regis Borussiae adversus tenorem Tractatus Chronopolitani occupatas tenere, easque desolari, neque interea quo Gallia in his Monarchiæ Borussicæ reliquiis pro arbitrio graves præstationes exigat, quas Borussia in florentissimo etiam statu pendendo impar fuisset; neque interea, quo in statu pacis deditio arcium Borussicarum petitur, quæ belli tempore expugnari non poterant; neque interea temporis, quo Gallia in Borussiam adeo latepatientem tyrannidem exerit, ut momentaneum supplicium subditorum Borussicorum, in ditionibus Borussicis sedes habentium, eo ex capite postuletur: quod delati essent: æstimationem regimini Gallico debitam attrectasse; neque interea, quo omnes hi actus in conspectu Imperatoris Russiæ, et absque ejus intercessionem in favorem fœderati sui, tolerantur; non inquam sub talibus adjunctis Sua Maj. se obligatam existimare potest, Europæ in argumento difficultatum rationes reddere, quæ sibi suppetebant, illimitatam fiduciam in efficaciam intermediationis Suæ Cæsareæ Maj. sollocandi.

Continuabitur

B I O G R A P H I A

Joannes Luzac oriundus ex gallica pro-
 genie quæ revocato Edicto Nannetensi in
 Hollandiam se receperat & Lugduni Bata-
 vorum die 2. Aug. 1746. primam lucem a-
 spexit; Initio Juridicis se devovit disciplinis,
 at paullopost munus Redactoris Ephemer-
 idum Lugdun. quarum proprietatem & reda-
 ctionem hæcenus patruus ejus *Stephanus Luzac*
 tenebat, amplexus; eas ab Anno 1770 sub
 titulo *Nouvelles extraordinaires de divers endroits*
 solus concinnavit, æque ab omnibus mini-
 stris & publicis viris maxima cum volupta-
 te legebantur, pro ipso purpuratorum Colle-
 gio Constantinopolit. (Divan)æ vertebantur;
 eas in America, Indiis & Sinis reperire fuit;
 Præter editionem scriptorum *Cl. Physiologi*
Walkenar, elaboravit quoque Luzac in ope-
 re, in quo opes ex classicis auctoribus mul-
 tis vigiliis partas, scientias, observationesque
 suas eruditas congegit. Dies 12. Jan, 1807
 occasione pulverariæ explosionis Lugduni, fa-
 talis erat eruditi hujusce viri.

Ad BB. Lectores

P. Basilii Alexiovis sermones Sacri, festi-
 vales et Dominicales, jam ex integro parati
 sunt, V. Tomis 8. maj. possuntque haberi
 Posenii in hac Typographia, Pestini apud
 Eggenberger, et Kiss Bibliopolas, ab 8 fl.
 quisvis Tomus separatim a 2 fl.